

ricordia — —. quae habentur in edit. Cap. III. Itaque plus quam V. Capitibus multatus est, cetera probae et cum Editis conspirantis lectionis.

CXXXV.

- R. 489 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 204. f. per duas columnas bene exaratus et rubricis distinctus est, ut e calce petendum, Magni aurelij cassiodori senatoris jam domino prestante conuersi expositio psalmorum. Tò Conuersi ex aevi usu jam Coenobium Vuarientse, quod ipse construxerat, ingressi intellige. Prima hujus Operis Pars, nescio, quod fatum habuit; altera enim praefens incipit: *Psalmus 91. Psalmus cantici in die Sabbati*, atque hinc usque ad Psalterii finem integre decurrit. Initium est: *Psalmus cantici commonet nos vt in vniuersis actibus nostris diuinitati gratias referre debeamus &c.* Lectio, si cum editione Opp. omn. *Garetiana Rotom. 1679. T. II. p. 311.* conferatur, proba est demtis levibus quibusdam differentiis, puta sub ingressum *opera spiritualia pro operas spirituales, omnem viam suam pro vitam, obseruancias eius pro obseruantiam, opera nostra pro operatio nostra, iudicatur adiunctus pro videatur &c.* sed mox lapsus est Librarius quia trinitatem diuinam pro quaternitatem diuinam scribendo. In calce haec notavit ad historiam: *Temporibus Justiniani Augusti Cassiodorus apud Urbem Romanam claruit. Hic primitus con-*

sul, deinde senator, ad postremum vero monachus extitit. Hoc etiam tempore dyonissus (Exiguus) abbas in vrbe constitutus pascalem calculum composuit, tuncque apud constantinopolim Priscianus grammaticae artis profunda rimatus est, tunc quoque nichilominus arator Romane ecclesie subdyaconus apostolorum actus versibus exarauit. Hec itaque in longobardorum gestis scripta sunt. Ita sane, sed paullo uberius, apud Paulum Diac. L. I. c. 25. in Muratorii Scriptt. Rer. Ital. T. I. p. 421.

CXXXVI.

- Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 318. f. max. per duas columnas probe et diligenter exaratus, rubricisque insignis, quem, fronteteste, Collegio Ducali quondam dedit *Honorabilis Vir Dominus Johannes Beyzz de Franleytten* oppido Styriae, complectitur vastam *Psalterii et Canticorum Biblicorum Expositionem*, cujus Autorem demum manifestat Claufula miniata Operis, quae sic habet: *Explicit Glosa solempnissimi Doctoris Honorij (Augustodun.) solitarij super Psalterium a Johanni Presbitero Cappellano in Rupprechzbhofen scripta ibi idem Anno ab incarnationis domini Millesimo Quadringentesimo Quarto. In die Sixti pape. Deus propicius esto mihi peccatori. Cum mox memoratus Pagus ad Carthusiam Gemnicensem infer. Austriae pertinuerit, et Bern. Pezius T. II. Thes. Anecd. col. 95. Expositionem seleto.*

U. 128